

DIALOGUS XXXII.

De Diis Aegyptiis, Api, Sileno, & Ifide.

TULLIUS.

I. **I**Dentidem jam audisti, juxta Dominum *Pluche* innocentia primorum Aegyptiorum Signa, scripturae loco ad instructionem populi proposita, perdito post inventas literas eorum vero sensu, in idola transivisse. Primum id apud ipsos Aegyptios posteriores, proximeque vicinos eisdem Populos, deinde apud Orientales omnes, demum apud Graecos, Romanosque fiebat. Poterant igitur in hac nostra Tractatione Numina Aegyptia, tanquam Parentes, ceterorum omnium Deorum, de quibus jam egimus, chorum haud immerito ducere. Quoniam vero, quantum antiquitate praecesserant, tanta rudiora sunt pariter, monstrosa, atque illepidae formae: ac proinde, ut placent minus, ita & parcius quaeruntur, quin & rarius occurrunt Aegyptii Numi: libuit potius, ab obviis Romanis Graecisque initium sumere. Ne tamen & illos penitus ignores, aliqua saltem eorum hic tibi specimina edidi.

II. **PUBL.** Quae mox praemonuisti, comprobant imagines ipsae
 TAB. VI. Numorum, hodie a nobis tractandorum, peregrini admodum,
 N. VII & reconditi typi. Primus horum, Septimus Tabulae tuae VI^{tae},
 Bovem stantem exhibet, cujus capiti flos inter cornua impositus: ante ipsum rursus calix quidam floris exurgere videtur. Literae haud aliae sunt, quam L. & Z. forte epocha Graeca, juxta instructionem, quam dederas mihi Part. I. Dial. XIII. n. II. legenda: L. *υαλκαυρος* i. e. Anno Z. Septimo. TULL. Recte. Excerpti tibi hunc Numum ex Cl. *Patino*, ceteros inter *Domitiani* Numos p. 135. exhibitum, Urbem, a qua cusus fuerit, & epochae ratio

rationem, ille non exposuit. Advertere tamen hic placet, quod monuit Eruditissimus Dominus *Pluche*, scilicet Aegyptios Anni cursum, & Mensium in eo successionem, per Lupos duodecim, una linea consequentes, qualiter aquam tranare solent, expressisse, atque idcirco Anno dedisse nomen *Lycabas*, i. e. *Luporum gressus*: a quo profectum est Græcorum *Λυκάβατος*, ab ipsis tamen in Numis denotatum per L. latinum, cum Δ. græcum apud ipsos numeralis existat, atque 30. designet.

Libr. I.
cap. II.
§. 41.

De Bove hic comparente plurimum sese mutuo excipientium, cum primis *Herodoti*, *Plinii*, *Solini*, aliorumque concors narratio est. Mittunt quippe illud, quod Græci Aegyptiorum Numina furati, nunquam tamen hanc suam rapinam fatentes, commenti sunt: *Apim* scilicet, quemdam Argivorum Regem, in Aegyptum transvectum, ibidem extruxisse Memphim, & fame aliquando suborta, advectis aliunde frumentis eam levasse. Quapropter Aegyptii, cum primis vero Memphitæ, Deum *Apim* specie Bovis, per quem agri pingues, uberesque redduntur, coluerint. Misso, inquam, hoc græco mendacio, de *Api* Aegyptio ipsi hunc in modum tradiderunt:

III.

Erat, inquit, *Vitulus niger*, in fronte signo albo, tanquam *Luni bicorni*, præter solitum ita belle notatus, ut nequaquam natura, sed prodigio id factum, Aegyptii reputarent. Divinum igitur esse hoc animal rati, peculiari quadam in domo id enutriverunt: quæ brevi transivit in Templum. Bos etenim iste illis ipsis, a quibus pabulum accepit, vicissim Oracula reddidit. Verumtamen consenescente ipso, & quemadmodum alii boves, languentibus viribus deficiente, insulsam reputantes Popæ illius, Deum suum emortuum esse, ne hoc in plebem exiret, sollicitè præcaverunt. Quærebatur Vitulus alius consimilis, quodque *Plinius* ajebat, *nunquam diu*: quoniam eidem vel arte, & fraude, quam divinam jactabant, macula candida Lunaris parabatur: vel, quod existimabat *S. Augustinus*, opera daemonum id præstitutum fuerit. Habito novo Vitulo, jamque clanculum in bovem enutrito, decrepitem veterem Solemniis publicis eduxerunt, actisque Sacris e conspectu populi subtractum, remotis arbitris in quodam lacu submersum, rasis capitibus luxerunt, novo dextere substituto.

IV.

Herodot.
L. III. in
Thalia n.
28.
Plin. L.
VIII. c.
46.
Solinus
c. 32

De Civit.
Dei L.
XVIII. c.

Do-

V. Dominus *Pluche* inquit : Vetustissimis Aegyptiis morem fuisse, singulas Neomenias, i. e. Novas Lunas celebrandi, quarum Imago prænumcia semper *Isis* fuit, hoc tamen cum discrimine, ut ei Signum illud cœleste, quod eo mense in Zodiaco compareret, ubique adderetur, ad commonendum populum, quid eo mense cumprimis agendum esset. Altero igitur Veris mense proponeretur, vel circumfereretur *Isis*, i. e. Luna nova, cum Signo Tauri, docens, Vitulos, hyeme a Matribus educatos, Aprilimense in pascua educendos esse. Postquam vero *Isides* menstrua totidem *Dæ* sunt facta, & casu Vitulus niger cum alba Lunæ macula repertus fuisset, vulgatum est ab idololatriis, *Isidem*, seu Lunam, hunc Vitulum, peculiariter sibi dilectum, Signo proprio consecrasse : nec Arduum erat ope dæmonis, Oracula ab ipso edita, confingere. Hebraea is lingua dictus est, *Abir*, i. e. *Fortis*.

Cap. XLVI. v. 15. Unde *Jeremias* Propheta Aegypto sic exprobravit juxta veritatem Hebraicam : *Quare ablatuſ est ABIR tuus ?* Juxta Vulgatam vero : *Quare computruit FORTIS tuus ?* Juxta Septuaginta : *APIS vester, potens Vitulus, dilectus vester.* Sic porro apud Memphim, a Luna dictam. Apud Heliopolim e converso, cui a Sole nomen erat, Vitulus albus exquisitus fuit, qui macula fusca Solem, calore suo cuncta obfuscantem, pariter mentiretur, *Menaris* sive, *Mnevis* appellatus.

VI. Flos inter cornua hujus *Apis* conspicuus, nobilis planta Aegyptia, *Lotus* dicta : quæ post abcessum Nili ad ejus litora uberrimè excreſcit, neque se flore duntaxat, verum etiam fecunditate fructus commendat, ut inde panis quoque parari solet. Tam flos purpureus, *Nymphaeæ* species, quamvis & candidus alius existat, quam fructus, orbiculari sunt figura, jamque contracti, jam expansi, Aegyptiorum in Numis comparent : apud quos Deorum suorum capitibus tam frequenter, ac *Laurus* apud Romanos, imponebatur. *PUBL.* Cernitur omnino sequenti statim in Numo tuo Octavo : ubi stat *Ostiris*, ut puto Aegyptius, habitu Viri barbati, capite quo *Lotum* gestat, ac corpore velati, cum hasta in dextra, lava extenta parvulum Apim denuo sustinens. Epigraphæ circum : *ΚΟΝΤΕ.* Pone imaginem Aera : *L, ISI, i, e. Anno viceſimo tertio.*

TUL.

TULL. Magnum hunc Numum *Trajani* ex *Trifano* vulgavit Ill. *Spanhemius* I. p. 303. nihil vero in eodem exponens, nisi, quod *Ofris* Lotum hic in capite gestet. Hac imagine, sed pro varia eorum ratione, quæ persignare debuerat, symbolis diversis adjectis proposita, Aegyptii primi Solem, non qui Deus esset, sed, ut princeps Beneficentiæ Divinæ Minister, cursu suo tempora omnia metiretur, ac lumine suo, & calore animaret universa, totiusque terræ virtus fœcundatrix existeret, publice proposuerunt. Regem eum aliquando fuisse, divinis a morte honoribus auctum, posteriorum Aegyptiorum fabula fuit. *Coptos* porro, una ex principibus olim Aegypti Urbibus, nobile, & Nilo proximum Indicarum, & Arabicarum quarumlibet Mercium Emporium fuit. Noti sunt in Historia Ecclesiastica hodierni *Copti* Christiani: & inter Eruditos *Copti* characteres.

PUBL. Numus tuus Nonus Larvam potius, quam Deum, VIII. sistere videtur, nihil referens, nisi caput grande cornutum, ac TAB.VI
barbatum, nullo penitus cum lemmate. **TULL.** Hic pariter Nu- N. IX.
mus magnus argenteus *Carinensium*, *Spanhemianus* est I. p. 401. ab eo e *Paruta* Siculis Numis exceptus, in quo *Silenum* contueris. Tenebis porro memoria e superius dictis Dialogo XXIV. to. Dominum *Pluche* universam *Bacchi*, & *Bacchantium* fabulam, ab anniversario Festo plorationis ob immutatam per diluvium Terræ fœcunditatem, & lætitiæ, ob eandem Dei clementia utcumque iterum reparatam, apud omnes Orientales Populos actò, repetiissè. Hujus ultima Scena cum fuerit vera, vel simulata sylvestrium bestiarum Venatio, magnæ cum circumcursationis fatigio: Epilogum tandem faciebat Vir senex, a sella inequitans lento gressu, Vini amphora appensa: ut fessos discursu juvenes, metu ferarum, & periculo jam abactò, ad quietem & hilaritatem invitaret.

Hunc in fanatico bacchantium tumultu retinentes Græci, ne IX.
sine causâ hoc festum ingressus censeretur, Præceptorem *Bacchi* mentiebantur: qui deinde hunc discipulum suum per omnia totius Indiæ itinera conduxerit. Ipse interim summa corporis deformitate fuisse fingitur, immani capite, ac ventre, grandibus oculis, naso simo, nunquam sobrius, semperque tremulus a vino. Captum aliquando in Phrygia comminiscuntur a *Myda* Rege ad

fontem vino repletum , postquam se plene ingurgitaverat : cui autem , dum comiter ab eo haberetur , ad votum indulfit , ut quæcunque tangeret , aurum fierent , gratus ad speciem beneficis , re ipsa captionis nequitiam ultus , dum cibi quoque in aurum conversi , fatuo Regi mortem inducerent. Sed neque fabulari ulterius puduit , *Silenum* adfuisse bello Jovis cum gygantibus , ubi asellus ejusdem , ignotum tunc animal , immanitate corporum exterritus , tam horribiliter sine cessatione rudere occeperit , ut adeo turpi rugitu peregrinæ bestix gygantes ipsi stupefacti , maximam partem diffugerint.

X.
TAB.VI. N. X. *PUBL.* Quid non ausit , cui jam amplius nulla est frons ? Numus X. mus. *Osrin* , ut arbitror , vel *Serapim* , honestiore figura exhibet , quæque Deum decere amplius possit. Protomen quippe refert Viri gravis barbati , cui modius , aut Calathus impositus : ante faciem , supra quidem fulmen Jovis trifidum , infra tridens Neptunius exstat. Epigraphe ΑΥΤΟΚΡ. ΑΥΤΟΚΡ. : i. e. *Imperator.* *TULL.* Pinxit hunc Numum *Aen. Vicus* Ære Neronis 35to. Apud *Patinum* p. 89. & 94. in aliis hujus Caesaris Numis compareret *Jupiter Hammon* cornutus , item *Nilus* inter gemina cornuacopiæ , & alia Numina Aegyptia : quorum forma *Nero* exhibitus , eorum quasi Numine , ac potestate gaudere , sive metu , sive adulatione jactabatur. *Serapis* interim non a solis Aegyptiis , verum etiam a Græcis , & Romanis , ut *Jupiter triplex* , ut *Sol* , ut *Aesculapius* , adjectis perpetuo variis omnium horum Insignis , colebatur. Idem quoque fuit *Mithras* Persarum , scilicet *Sol* , ac sepe radiante capite pingebatur. Nunc imago ejus involvebatur grandi Serpente multipliciter tortuoso , spiras inter nonnullis , aut omnibus Zodiaci Signis interpositis. Quandoque , non minus , ac *Osrin* , a quo æque nisi arbitraria forma diversus non erat , per solum Serpentem designabatur , pervagato nimirum Symbolo Vitæ , quemadmodum XI. mo meo in Numo. *PUBL.* Dudum hoc meum cogitabam , dum *Aram* in eo cernerem , imposito Loto , cum Serpente tortuoso , inde quasi pabulum capiente : retro quem flos alius Lotus , proceris , inflexis vero in modum Lu-
nz

na caulibus, excrescere videtur, citra Epigraphen. TULL. Et hunc Numum *Vicus* priori subjunxit.

PUBL. Numus XII. mus hydriam exhibet, imposito Capite foemineo velato, quod rursus Lotum gestat: ad latus denuo caulis Loti. Additur Epochæ: L. A. i. e. Anno primo. TULL. Itaque pinxit hunc Numum III. *Spanhemius* I. p. 303. paulo aliter vero *Cl. Patinus* p. 131. inter ceteros *Domitiani* Numos: qui ambo in hac imagine *Canopum* Aegyptiorum Deum agnoscunt. Quis autem fuerit ille, Dominus *Pluche* iterum te doceat. Ut antea Diluvium universam Terram, sic Nilus Aegyptum inundatione sua submergit, & ad colendas fruges, donec rursus deflueret, inutilem reddidit. Nec perinde fuit, quantum intumesceret. Nisi enim XIII. cubitis emineret, non satis ad fecunditatem totius Provinciae agros irrigabat: si XVI. cubitis altius increverit, lento nimis defluxu abscedens impedit, ne agros debito tempore conferere, messemque optatam sperare liceret. Ergo Sapientum erat, altitudinem fluvii exacte metiri, eamque populo Signis publicis expositis denunciare.

Eligebantur ad hoc diversæ imagines: quas inter etiam erant variæ magnitudinis Vasa, & hydriæ figulinæ, ipso conspectu suo populum ex usu mox commoventes, utrum Nilus hac vice iusta mensura, vel parum nimis, aut multum excreverit. Dum hæc Signa proponerentur mense Augusto, durante ipso affluxu Aquæ: super hydriam ponebatur Caput caninum, Symbolum Stellæ Caninæ, quæ Augustum proxime anteibat. Dum indicare populo placuit, sub inundatione quiescendum esse, nihilque in frugibus operari licere: vel etiam, Nilum plus nimio intumescere, & agrorum laborem eapropter irritum fore: Juvenis exponebatur, cujus nihil, nisi supra solum caput, infra plantæ pedum cernerentur, brachia porro, & omne corpus, alabore impedita, ventre hydriæ, in modum vasti tubi oblongæ includerentur. Si denunciaretur initium defluentis aquæ, Caput Virginis in collo hydriæ supereminuit, Signi nimirum illius celestis, quod mense Septembri Sol decurrebat. Tandem hujusmodi Hydriæ nomen *Conob* impositum, ex *Cane*, i. e. Virga mensoria, sive decempeda, & *Ob*, i. e. inundatio, vel

XI.
TAB. VI.
N. XII.

Cap. I.
s. 8.

XII.

vel tumor aquæ : ut adeo *Conob* idem diceret , ac *Mensuram Aquæ*.

XIII.

Planissima certe hæc omnia , & longe a superstitione qualibet remota. Sed posteriores idololatræ Aegyptii, figurarum tenaces, notionis autem, verique sensus earum ignari, nisi dedita opera incurii, *Nilum*, quasi Authorem, & largitorem fertilitatis terræ lux, sub nomine *Canopi* Deum fecerunt. Ut vero idolum ejusdem a cæterorum deorum suorum exoticis imaginibus novæ penitus forma discernere, placuerunt eis veteres hydriæ, meræ olim Nili mensuræ. Has igitur, nunc breves & ventrosas, nunc oblongas, & undique cæterorum deorum suorum iconibus, alias porro hieroglyphicis characteribus ornatas, & oneratas, nunc pueri, nunc Virginis, nunc alio capite, quod Lotus gestaret, imposito, effinxerunt. Cujusmodi Schemata Celeberr. *Montfalconius* Tom. II. Part. II. Tab. 132.--34. item Supplem. II. Tab. 49. & 50. amgno numero pereleganter exhibuit.

XIV.

Libr. II.
c. 26.

Non porro abs re hoc loco fuerit, si commemorem tibi, quod *Rufinus* Historiæ Ecclesiasticæ inseruit, sive fictum, sive factum id reputes. Chaldeos inter, qui ignem, videlicet Solem, summi Numinis ergo habuerunt, & vicinos Populos, aliquando peracris quæstio vertebatur, quinam fortissimum Deum haberent? Verborum, & rationum quarumlibet agglomeratione, ut solet, nihil confectum: quare ad capiendum ipsius pugnæ divinæ experimentum res pertigit. Accenderunt ignem Chaldei: per quem omnium quarumlibet Gentium idola, quacunque materia essent, vel exusta sunt, aut liquata. Demum cum ad Aegyptios ordo vertisset, illi *Canopum* suum, i. e. Aquam, sive *Nilum*, hac forma, qua est in Numo præsentis, attulerunt: Ita vero, ut hydriam figulini operis antea tenuiter undique perforarent, foramina deinde cuncta rursus cera opplere, variis deinde coloribus vas omne ad nitorem obducerent. Hoc dum igni vix impositum erat, cera per calorem eliquata, ex omnibus foraminibus profluens aqua, cum ingenti Chaldeorum pudore, qui fraudis ignari fuerant, Ignem hucusque semper victorem extinxit.

XV.

PUBL. Prudentius hoc saltem, esto, fabula foret, præ superioris de Asino *Silenti* commento. Numus porro tuus XIII. tuis.

Fæ.

Fœminam redhibet in sella reclini sedentem , cum Loto in ca- N. XIII.
 pite , quæ lato brachio infantem , super sinum suum sustinet , eique
 ablanditur , pariter Lotum tenenti. Pone hinc , & inde : L. I. 2.
 Postrema hæc nota quæ sit ? TULL. Valebat 6. ut adeo hic notetur
 Annus decimus Sextus , quo nimirum tunc imperabat *Hadrianus* Im-
 perator , cui eusus fuit hic Numus , exstans apud *Patinum* p. 156.
 & *Spanhemium* l. p. 302. Sedet autem hic *Ipsi* Aegyptia , sive Si-
 gnum Terræ , omnia parientis. Infans , quem gestat , ac fovet .
 est *Horus* Aegyptius , nempe frugum Ubertas. Nec Mater ,
 nec Proles , unquam fuerunt homines , vel ab origine sua culti ,
 quasi dii , sed picturæ duntaxat loquentes , populo expositæ , quan-
 do ex iusta Nili mensura frumentorum ubertas & copia proven-
 tura spondebatur.

DIALOGUS XXXIII.

De Harpocrate, Anubi, & Sphyngæ.

PUBLIUS.

DEcimo quarto in Numo Harpocratem , Silentii I.
 Deum , pariterque Numen Aegyptium agnosco : quia TAB. VI
 in eodem Juvenis nudus , dextræ manus ostensorium di- N. XIV.
 gitum ori admovens , & Læva caulem Loti deferens , in-
 super Loto flori rotundo quodammodo insidet. Epigraphe non inte-
 gra est : ETOYC E - - i. e. Anno 5. - - . TULL. Ae-
 reum & magnum hunc Numum *Antonini Pii* attulit Ill. *Spanhemius*
 l. p. 302. unacum alio , nbi nudus Juvenis , Lotum in capite
 portans , pectore tenus visitur , dextra ori admota , posito retro ip-
 sum Sceptro cum avicula insidente. Utramque figuram pro *Harp-*
pocrate ipse pariter habet. *Montfalconius* Tom. II, Part. II, Tab.
 B b 3 123.